



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Eusebiu Tu Pamphilu Ekklesiastikē Istoria

Eusebius <Caesariensis>

Mogvntiae, 1672

Ad Eosdem Illustrissimos Antistites De Nova Eusebiana Historia
editione. Praefatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14478



AD EOSDEM ILLUSTRISSIMOS ANTISTITES DE NOVA
Eusebianæ Historiæ editione,

P R Æ F A T I O.



Eraçto solemnis nuncupationis officio, jam tempus est, Illustrissimi Antistites, ut operis mei singulatim vobis rationem reddam. Cum enim vestrà potissimum causâ vestroque jussu hic à me susceptus sit labor, vos præ ceteris omnibus operis mei Lectores ac judices & opto simul & spero. Tria sunt igitur quæ in hac editione præstare studui. Primum est Græci textus emendatio, secundum Latina ejusdem interpretatio. Tertium est expositio obscuriorum locorum. Et Latinam quidem interpretationem quod attinet, post tres Eusebianæ Historiæ Interpretes, ipse quartam elaboravi. Emendationem verò atque expositionem Eusebiani Operis, nemo ante nos tentaverat. Verùm ut de singulis suo loco atq; ordine distinctius dicam, ordiar primùm ab emendatione. Quicumque novam veterum Scriptorum editionem aggrediuntur, ii necesse habent ab emendatione initium laboris sui ducere. Sic Origenes cum novam Septuaginta Interpretum editionem suscepisset, multa que in iis dubia ac dissonantia ob varietatem exemplarium reperisset, in eorum emendatione primùm laboravit. Et collatis Septuaginta Seniorum exemplaribus partim cum Hebræico textu, partim cum tribus aliis editionibus, Aquilæ scilicet, Theodotionis & Symmachi; errores qui in Septuaginta Seniorum editionem irrepserant, omnes substulit. Idem enim ipse innuit in tractatu 8. in Matthæum his verbis: *In exemplaribus quidem veteris Testamenti quæcumq; fuerunt inconsonantia, Deo præstante coaptare potuimus; utentes judicio ceterarum editionum. Ea enim quæ videbantur apud Septuaginta dubia esse propter consonantiam exemplariorum, facientes judicium ex editionibus reliquis, convenientia servavimus.* Origenis exemplum secutus postea B. Hieronymus, novam editionem Septuaginta Interpretum à se emendatam, & asteriscis obelisque distinctam, suæ linguæ hominibus dedit, sicut variis in locis ipse testatur. Atque ut de profanis Scriptoribus etiam loquar, Crates & Aristarchus Grammatici, qui accuratissimas Homericæ carminis editiones elaborarunt, nihil aliud fere quam emendationem distinctionemque illius operis præstiterunt. Pari igitur modo cum Eusebianæ Historiæ novam editionem condere instituissem, in ejus emendatione omnem industriam ac diligentiam adhibui. Editiones Eusebianæ Historiæ duæ tantùm hæcenus Græcè prodierunt. Altera Parisiensis

(b) quam

Prefatio.

quam Robertus Stephanus excudit, vir de literis eo nomine optimè meritus, quòd corpus Historiæ Ecclesiasticæ elegantissimis Typis primus publicavit. Altera est Genevensis editio. Verùm hæc in Græco textu editionem illam Roberti Stephani ubique expressit: nisi quòd varias lectiones & emendationes ad latus habet appositas ex codicibus doctorum virorum; & lacunas aliquot quæ in libris de vita Constantini occurrunt, ex iisdem codicibus supplevit. Proinde in una duntaxat Roberti Stephani editione mihi laborandum fuit. Quam quidem cum quatuor manuscriptis optimæ notæ codicibus quanta potui diligentia collatam, multis locis restitui. Horum quatuor codicum duos, nobis subministravit Bibliotheca Regia. Prior Francisci primi præfert insignia, ante quadringentos plus minus annos scriptus in charta bombycina; & singulares interdum exhibet lectiones, multumque à reliquis codicibus discrepantes. Hic est què in Adnotationibus Regium codicè nominavi. Alter est ex Bibliotheca Medicæa, quæ nunc in Regiam translata, uno eodemque Regiæ Bibliothecæ vocabulo censetur. Hic ad distinctionem prioris illius codicis, Medicæus codex in Adnotationibus nostris appellatur. Qui licet paulo recentior sit, ex optimo tamen exemplari & ab erudita manu descriptus est. Duobus his exemplaribus usus erat Robertus Stephanus in Eusebiana: Historiæ editione. Et in ipso quidem textu excudendo, Regium Exemplar ferè ubique secutus est, raroque admodum ab ejus discedit vestigiis, sicut in meis Adnotationibus observavi. In capitum autem distinctione, Medicæum codicem expressit, in quo tituli singulis capitibus, & quidem miniatis literis præfiguntur. Tertius his accessit codex Eminentissimi Cardinalis Julij Mazarini. De cujus exemplaris bonitate ac præstantia antequam dicam, res postulat, idque ipsum à me flagitare videmini, Antistites Illustrissimi, ut de Cardinale Eminentissimo à quo codicem illum commodatum accepi, pauca dicantur. Nam cum hic Eminentissimus Princeps & ad summa quæque natus, singulari quadam benevolentia literas complectatur, nos qui ab ineunte ætate ad literarum studia animum applicuimus, ingrati profectò simus, nisi tum nostro tum communi omnium eruditorum nomine, gratiam ei quantam possumus, & voce & scriptis referre studeamus. Porro quo favore quantaque benevolentia prosequatur literas, testatur prolixa ejus erga homines eruditos liberalitas ac munificentia; quam quidem, ut de aliis nihil dicam, ad me quoque nihil hujusmodi sperantem ac ne cogitantem quidem, nuper voluit pervenire. Idem declarat locupletissima ejus Bibliotheca. Quam cum innumeris optimorum Scriptorum exemplaribus partim excusis, partim manu exaratis instruxerit; non ut veteres illi Romanæ urbis Senatores quos eo nomine perstringit Ammianus Marcellinus, eam instar cujusdam sepulcri perpetuò clausam habet: sed velut publicam domum omnibus aperit eruditis: ultroque ad eam invitat singulos; & manuscriptorum codicum usum Studiosis, quotiescumque opus habuerint, liberaliter impertit. Quid dicam de reliquis illius virtutibus & eximiis animi dotibus? quid de mirabili moderatione ac lenitate, qua intestinos motus ac tumultus sine ullius civis cruore compefcuit. Sed hæc aliàs à me commodiùs, aut ab aliis dicentur ornatius. Nunc enim eas tantum illius laudes persequi constitui, quæ privatim pertinent ad studia literarum. Tempe-

Prefatio.

rare tamen mihi ipse non possum, quin hîc de pace aliquid dicam, quam Eminentissimus Cardinalis omni studio atque industria nunc maxime urget ac promonet, & quam brevi per præcones Regios publicè pronuntiandam esse speramus. Quippe ea res præcipuè ad commodum pertinet literarum; quas pacis alumnas esse, & sub ejus umbra ac præsidio conquiescere, nemo est qui nesciat. Cùm igitur Cardinalis Eminentissimus gubernaculis Reipublicæ primùm admotus, bellum grave cum Hispanis non conflasset ipse, sed conflatum jam reperisset: variis, ut in tanta re, consiliis diu & accuratè perpensis id tandem constituit: edomandos diuturno bello esse Hispanos, reque ipsa admonendos, quantum Galli armis, opibus, fortitudine, constantia, & reliquis ad bellum necessariis subsidiis pollerent: ut hostes imbecillitate sua & Gallorum potentia cognita, segniores in posterum essent ad nostros aut armis aut injuriâ laceffendos. Neque enim firmam ac securam pacem cum hostibus aliter posse constitui, quàm cùm illi Gallis se in gerendo bello impares esse, crebris cladibus suis detrimentisque sensissent. Itaque cùm Hispani id serò tandem perinde ac Phryges intellexissent, tum demum Cardinalis Eminentissimus opportunum incundæ pacis tempus adesse animadvertens, eam cum hostibus facere non recusavit, & de jure nostro, de summa totius belli, de spe denique atque victoria quam pæne jam in manibus habebamus, aliquid concedere, quò populorum commodis & bonorum omnium votis, totius denique Christiani orbis desiderio gratificaretur. In quo singularem ejus prudentiam & salutarem Reipublicæ sapientiam equidem satis mirari non possum. Neque enim ob aliam causam tandiu dilata pax est, quàm ut diuturnior deinceps esset ac firmior. Atq; hæc obiter dicta sint de laudibus Cardinalis Eminentissimi. Qui cùm inter arma literas ac literatos omnes benignissimè fovere nunquam destiterit, multo magis sperandum est, illum pacis suæ tempore, easdem artes præcipuo quodam studio ac providentia complexurum: effecturumque ut Galli nostri qui armorum gloriâ præ ceteris gentibus semper eminuerunt, nunc literarum laude & optimarum artium studiis antecellant. Sed nunc tempus est, ut eo unde digressi sumus revertamur. Tertius igitur ille codex, quem Cardinalis Eminentissimi Bibliotheca nobis suppeditavit, omnium quos vidi Eusebianorum codicum longe optimus est ac vetustissimus. Quotquot enim emendationes in aliis exemplaribus reperimus, eas codex ille omnes exhibet: multæ verò aliæ in illo habentur emendationes, quas in aliis exemplaribus non reperi, quemadmodum ex meis Adnotationibus studiosi Lectores poterunt cognoscere. Scriptus est in membranis ante septingentos plus minus annos, elegantissimè simul & emendatissimè. Scholia quoque ad latus interdum habet apposita, nunc antiqua manu, nunc recentiore: quæ nos in Adnotationibus nostris suo quæque loco descripsimus. Multa quoque alia in optimo illo codice observanda sunt, partim in accentibus, partim in distinctione seu interpunctione. Nam quod quidem ad accentus attinet, sæpe in illo codice acuuntur vocabula, quæ in aliis exemplaribus accentum habent circumflexum. Exempli gratia $\pi\acute{\iota}\sigma$ & $\nu\alpha\acute{\iota}\sigma\alpha\epsilon$ in illo codice semper acuuntur. Contra verò $\sigma\phi\acute{\iota}\sigma\iota$, quod in aliis codicibus acuto notatur accentu, in illo codice circumfle-

Præfatio.

Etitur. Atq; id quidē rectiūs puto. Quod a. spectat ad distinctionē, q̄ nos vulgò interpunctionē vocamus, hic codex adeò accuratè distinctus est, ut totā distinguendi rationem ac scientiam, q̄ haudquaq̄ levis momenti est, ex hoc uno codice possis cognoscere. Certè anteq̄ cum nactus essem, mediæ distinctionis utilitatem ac necessitatem nondum perspexeram; q̄ unus ille codex sedulo inspectus atque excussus, mihi tandem patefecit. Verūm de distinctione plurib. infra dicturi sumus. Illud præterea in vetustissimo illo codice observavi, quotiescumq; plena distinctio seu *τελεία σημειωσις* apposita est in aliqua linea, primam sequentis lineæ literā extra reliquarum ordinem conspici, & exteriorem marginem subradere. Idq; indicium est, novum caput aut novam periodum inchoari post finalem illā distinctionem. Idem in aliis quoq; scriptis codicibus observavi. Certè in veteribus schedis Bibliothecæ Regiæ quæ libros Eusebij de vita Constantini continent, ita semper fieri animadverti, quoties novū caput inchoatur. Quartum præterea codicem habuimus ex Bibliotheca Illustrissimi Viri Nicolai Fucketii, qui generalis in Senatu Parisiensi Procuratoris Officium gerens, Præfecturam simul Regalis ærarii summa cū laude administrat. Atq; his quatuor manuscriptis codicib. ad emendationem librorū Ecclesiasticæ Historiæ usi sumus. Libros verò de vita Imp. Constantini, cū tribus antiquis codicibus contulimus. Primus est Regius ille, de quo superius dixi, in quo ante libros Ecclesiasticæ Historiæ, quatuor libri de vita Imp. Constantini, licet non eadem, vetusta nihilominus manu perscripti leguntur. Secundum locum obtinent schedæ veteres Bibliothecæ Regiæ. Sic a. voco chartas, per quaterniones quidē digestas; sed dissolutas, nec in codicis modum compactas. In his schedis, præter libros Eusebii de vita Constantini, & orationem ejusdem Imperatoris ad Sanctos, primus quaternio Ecclesiasticæ Historiæ habetur: cujus est in Adnotationib. meis mentionem sæpius feci. Cetera nescio quo casu perierunt. Tertium nobis codicem suppeditavit Bibliotheca Fucketiana. In quo ante quatuor libros de vita Imp. Constantini, præfixus est Eusebii Panegyricus, dictus eidem Constantino, anno ejus Imperii tricesimo. Hic codex quamvis infimæ vetustatis, est tamen optimæ notæ, multisque in locis emendatior & amplior duob. illis priorib. quib. in editione sua usus est Robertus Stephanus. Præter hos manu exaratos codices, adjumento nobis fuerunt varię lectiones & emendationes, quas viri docti ad marginem editionis Roberti Stephani manu sua adnotaverant. Cujusmodi codices multi etiānum reperiuntur. Sed nos tribus præcipuè usi sumus, qui etiā in Adnotationib. nostris sæpi⁹ commemorantur. Primus fuit Hadriani Turnebi, quem ille cum codice Regio ac Medicæo diligentissimè contulerat. Libri verò de vita Imp. Constantini cum Anglicano quodam exemplari collati erant, sive ipsius Hadriani, sive Odonis Turnebi manu. Alter codex fuit Vulcobii: quem quoniam Rhenatus Moræus Medicus Parisiensis mihi cōmoda verat, codicem Moræi in Adnotationibus vocare soleo. Hic liber præter eas emendationes q̄ in libro Turnebi habentur, per paucas alias continet. Tertius codex fuit Henrici Savillii, viri doctissimi, ad me missus ex Anglia à Jacobo Usserio Armachano. Nā cum in Usserii notis ad Martyrium B. Polycarpi, manuscriptum Eusebianæ Historiæ codicem ex Bibliotheca Saviliana laudari animadvertissem, cumque codicem optimæ notæ esse ex aliquot locis ab Usserio prolatis deprehendissem, postulavi ab eo per literas, ut varias e-

Praefatio.

ius codicis Lectiones (integrum n. ab eo collatum esse existimabā) ad me transmitteret. Ille verò codicem quidem ipsum in charta scriptum bombycina, Bibliothecæ Oxoniensi à Savilio donatum fuisse, mihi rescripsit. Ceterùm editionem Roberti Stephani statim ad me misit, in cujus margine Savilius emendationes ex suo illo manuscripto codice depromptas adnotaverat. Quantum tamen conicere potui, nō omnes scripti codicis Lectiones ad latus editionis illius apposuit Savilius, sed eas tantum quas bonas certasque esse existimabat. Quædā n. Lectiones ab Usserio è scripto illo codice proferuntur, quas à Savilio prætermittas esse postea deprehendi. Præterea idem Savilius ad oram illius editionis multas adscripsit emendationes ex codice Joannis Christophorsoni, quem scil. Christophorson^o cum aliquot manuscriptis exemplaribus contulerat. Hæc sunt librorum subsidia quibus instructi, Eusebiana Historiæ libros emendandos suscepimus. Sed ne quis forte quicquid à nobis temere & pro arbitrio mutatum esse existimet, ante omnia Lectores monitos esse volum^o, nihil nos sine optimorum exemplarium consensu atque auctoritate fecisse. Adeoque nobis religio fuit, in his libris aliquid interpolare; ut ne tum quidem cum locum depravatum esse manifestissimè apparebat, conjecturæ nostræ indulgere voluerimus. Argumento sit locus in fine lib. 10, Histor. Eccl. p. 399. qui sic habet: *ὁ δὲ ἀρετῆ πᾶσιν θεοσεβείας ἐκπεπῶς μέγιστος νικητῆς Κωνσταντίνος.* Poteramus hic veram Lectionem levi negotio restituere, & pro *ἐκπεπῶς* emendare *ἐκπέπων*. Sic n. cum Eusebii locum citat Gelasius Cyzicenus in lib. 2. nec aliter scribitur in lib. 2. Eusebii de vita Constantini, cap. 19. ubi hic locus iisdem plane verbis repetitur. Denique nullus in hac editione nostra emendatus est locus, de quo in Adnotationibus Lectorem non admonuerim, & emendationis meæ rationem non reddiderim. Emendationis pars est non postrema, distinctio sive interpunctio, de qua non nihil à me dicendum est, ne fortè Lectores novo interpunctionis genere quod in hanc editionem à me primùm invecum est, conturbentur. Quanquā si propriè loqui velimus, non id novum distinctionis genus, sed vetustissimum est, & ab antiquis omnibus tam Græcis quàm Latinis usurpatum: quod recentiorum negligentia penitus abolitum, hac editione conatus sum saltem ex parte revocare. Prisci quidem illi, recens tum inventis literarum figuris, uno tenore sine ulla profus distinctione scribebant. Quæ res cum maximam tum in legendo tum in pronuntiando haberet difficultatem, veteres Grammatici tres posituras seu distinctiones excogitarunt, quibus quasi stationibus quibusdam ac diversoriis continuus orationis cursus distingueretur. Primam vocarunt *ὑποσημνήν*, id est, subdistinctionem: alteram *μέσην*, id est, mediam distinctionem: tertiam *τελείαν σημήν*, id est, finalem seu plenam distinctionem. Tribus autem punctis diverso situ dispositis singulas notaverunt. Punctum enim ad imam literam appositum subdistinctionem designat: media verò distinctio quam Latini moram appellarunt, significatur puncto ad mediam literam affixo. Illud a. punctum quod ad caput literæ apponitur, finalem denotat distinctionem. Harum autem distinctionum quæ sit vis ac ratio, docent Grammatici, Donatus & Marius Victorinus, & Diomedes in lib. 2. qui unus instar omnium nobis erit hoc loco. *Lectioni, inquit, posituras accedere vel distinctiones oportet, quas Græci θεοδῆς vocant: quæ inter legendū dāt copiam spir. rescindi, ne cōtinuatio-*

Prefatio.

ne deficiat. Hæ tres sunt, distinctio, subdistinctio, mediæ distinctio sive mora, vel ut quibusdam videtur, submediæ: quarum diversitas tribus punctis diverso loco positis indicatur. Et paulò post: Distinctio est silentii nota, cum sensu terminato liberum est cessare prolixius. Est hujus nota punctum supra versus ad caput literæ positum. Subdistinctio est silentii nota legitimi, quæ pronuntiationis terminus sensu manente ita suspenditur, ut statim id quod sequitur, succedere debeat. Hujus autem nota est punctum sub versus positum. Mora est levis in continuatione sensuum interposita discretio, legitime distinctio subdistinctioque, medium obtinens locum, ita ut nec perfecta in totum, nec omissa videatur, sed significatione immorandi, alterius consideret principium sensus. Et hoc solummodo servat officium, ut legentis spiritum brevissima respiratione reficiat ac nutriat. Sic enim pronuntiando reticere quis debet, ut quia spiritus ipse quadam defectione mutatur, deinde resumatur. Ut est

*Vt belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco strepuerunt cornua cantu.
Utque acres concussit equos, utque impulit arma.
Extemplo turbati animi.*

Multa enim clausule sunt mediæ hujus lectionis. Primum ne confundantur, quæ δὲ ἰσὼς & ἰσὼς ponuntur & talia. Deinde ut actus verborum emineat & luceat, qui ex aliquo moveatur affectu, vel indignatione vel miseratione collata, &c. Hujusmodi igitur distinctio seu interpunctionum notas antiqui omnes tam Græci quam Latini in libris suis adhibuerunt: quas etiam Isidori Hispalensis ætate adhuc in usu fuisse constat. Id enim discimus ex ejus Originum libro 1. cap. 19. In manuscriptis quoque exemplaribus paulo vetustioribus eadem distinguendi ratio perpetuò servatur. Verum recentiores, seu imperitia seu desidia quadam ac negligentia, omnia commutarunt. Ac pro subdistinctio quidem virgulas posuerunt; pro mediæ distinctio notam duo puncta: finalis verò distinctio notam à capite ad pedes literæ dejecerunt. Quam pravam distinguendi rationem secuti sunt omnes fere Typographi præter Aldum Manutium. Hic enim in editione Græcorum librorum, quos pæne innumerabiles excudit, eam semper interpunctionem retinuit, quam in manuscriptis exemplaribus invenerat. Et virgulas quidem quod attinet, nolim eas damnare. Parum enim interest, quam notam adhibeamus ad subdistinctio designandam, modo ea nota ad pedes apponatur literæ. Certe in optimo illo ac vetustissimo codice Bibliothecæ Mazarinæ, cujus antea mentionem feci, interdum pro mediæ, interdum pro finali distinctio virgulam appositam reperi, id est, nunc ad mediæ literam, nunc ad summam. Nec solum virgulam, verum etiam sicilico seu ἀπὸ ἀversâ nonnunquam designabatur mediæ distinctio, ut docet Victorinus in libro 1. Artis Grammaticæ. Quod verò pro finali distinctio hodie punctum ad pedes literæ ponimus, id meo quidem judicio, ferri nullatenus potest. Neque enim solum vetustati id repugnat, verum etiam rationi. Quippe ratio postulat, ut nota eodem situ posita eandem designet distinctio. Punctum igitur in

Prefatio.

ima parte positum, idem significare debet, quod virgula quæ ad imam literam notata est. Neque enim nota ipsa, sed notæ situs variat distinctionem. Ex quo efficitur, finalem distinctionem non rectè à nobis designari puncto ad pedes literæ apposito. Quare non sine causa veterem interpungendi rationem in hac editione restituere sum conatus. Ac virgulam quidem ipsam retinui, quippe quæ in denotanda subdistinctione idem valeat ac punctum: mediam verò distinctionem ex manusciporum codicum auctoritate suis locis quasi postliminiò restitui. Hujus porrò utilitatem ac necessitatem Studiosi, ut spero, celeriter agnoscent. Neque enim solùm eo valet media illa distinctio, ut resumatur spiritus ad principium alterius sensus continuandum, & ut actus magis emineat ac luceat, quemadmodum scribit Diomedes: verùm etiam ad notandum discrimen personarum ac dignitatum. Sic alicubi in his libris, ubi legitur *ἐπισκόπων πρεσβυτέρων τε καὶ διακόνων*, codex Eminentissimi Cardinalis post vocem *ἐπισκόπων* mediam adhibet distinctionem. Sed & plerique in locis punctum ad caput literæ posui, ad finalem distinctionem designandam: ubique id facturus, nisi vis inolitæ consuetudinis me ab incepto revocasset. Ceterum quod ego in hac editione tantum ex parte præfitti, id ab aliis majore doctrina & auctoritate præditis, qui veterum libros posthac edituri sunt, tandem, ut spero, consummabitur. Atque hæc de emendatione & distinctione nostra summam dicta sufficiant, Nunc ad Latinam interpretationem veniamus.

Non dubito multos fore qui mirentur, quam ob rem post tres Latinos Eusebii Interpretes, eosque in Græcis literis non mediocriter exercitatos, quartam ipsæ versionem elaboraverim. Quibus primùm ita respondeo. Si post Rufinum, qui Ecclesiasticæ Historiæ libros primus in Latinum sermonem convertit, licuit Musculo novam interpretationem condere, si rursus post Musculum idem licuit Christophorono, cur mihi quoque idem juris non fuerit quod ceteris? Apud Judæos post Septuaginta Seniorum editionem tot Sacramentorum religione, tot sæculorum auctoritate firmatam, Aquila primùm; deinde Theodotion & Symmachus novas veteris Testamenti interpretationes singuli ediderunt. Quintæ item sextæque ac septimæ editionis auctores quidam reperti sunt, quorum nomina ignorantur: easque omnes versiones Origenes in Hexaplis suis collocavit, ut à Catholicis hominibus legerentur. Quod igitur Judæis in veteri Testamento licuit, cur in Eusebio mihi non liceat? maximè cum id audere in Eusebio minus periculosum sit, quàm in sacris divinarum Scripturarum libris. Enim verò multæ eæque gravissimæ rationes ad novæ hujus interpretationis onus subeundum me vel invitum impulerunt. Nam cum novam Ecclesiasticæ Historiæ editionem vero jussu vestrisque auspiciis suscepissem, videremq; superiorum Interpretum versiones ob crebros errores ac *παρερμηνείας* nequaquam satisfacere desiderio doctorum virorum, quemadmodum Joannis Curterii & Petri Halloixii testimonio jam antea declaratum est: duorum alterum mihi necessario præstandum fuit, ut vel antiquam interpretationem corrigerem, vel certè procuderem novam. Porro aliorum interpretationem corrigere, ut molestum per se ac difficile, ita etiam odiosum videbatur. Sua enim cuique laus, suus honos debetur à nobis,

Praefatio.

Fecerunt illi quicquid in ipsis fuit, & suo labore nostrum laborem levare ac minuere conati sunt. Proinde opus uniuscujusque Interpretis laudandum potius est à nobis quàm interpolandum. Rufinus, quamvis sensum potiùs Eusebii sequatur quàm verba. tersus est tamen ac nitidus, nec legentibus injucundus: ac vel eo nomine plurimum laudandus, quòd Ecclesiasticam historiam primus Latinæ linguæ hominibus dedit, cujus versione ad nostram usque ætatem usà est Occidentis Ecclesia. Musculus verbis pressius adhæret, & in interpretando brevis est atque perspicuus, multisque in locis Christophorofono felicior. Christophorofonus, ut diligentior ac doctior Musculo, sic etiam numerosior incedit, & Ciceronianum quiddam sonat. Præterea usus est manuscriptis exemplaribus ad interpretationem suam elaborandam: primusque panegyricum Eusebii dictum tricennialibus Constantini latino sermone edidit, quem postea Genevenses typographi Græce excuderunt. Dicit hîc aliquis. Quid igitur opus fuit nova versione? cum illi Interpretes tot tantisque laudibus abundant. Ego verò laudes illorum commemoro, non vitia detego: quæ quidem aliorum testimonio quàm meo prodi malim. Quòd si quis Adnotationes meas legerit, aut interpretationem meam cum illorum versione conferre voluerit, intelliget profectò quot quantisque erroribus refertæ sint illorum interpretationes, nec sine causâ novam Eusebii versionem mihi à vobis injunctam fuisse. Sed quoniam non voluntate sed necessitate quadam in hunc sermonem delapsus sum, de superiorum Interpretum vitiis summatim pauca dicam. Nam si cuncta illorum *σφάλματα* singillatim vellem percensere, in immensum extenderetur oratio. Ut igitur à Rufino exordiar, quis nescit illum Eusebio multa pro arbitrio addidisse, multa detraxisse, multa mutasse; ac plerisque in locis *ἄσφατα* potiùs esse quàm Interpretem? Exempli gratiâ in libro 7. de Gregorii Thaumaturgi miraculis satis prolixam narrationem inseruit, quæ in Eusebii nostri exemplaribus non habetur. Idem in libro 9. Luciani martyris orationem pro fide nostra coram judice habitam commemorat, quam Eusebii exemplaria non agnoscunt. Jam verò decimum Ecclesiasticæ Historiæ librum totum fere in versione sua prætermisit. Nihil hîc dico de capitibus ab eo commutatis in libro sexto ac septimo, quando quidem in Adnotationibus meis hac de re Lectorem admonui. Quot Eusebii loca ab illo perperam accepta & interpretata sunt? Hic est qui ex Zacharia sacerdote, cujus in Evangelio Luca fit mentio, martyrem nobis Lugdunensem effecit. Hic est qui Bibliadem cum Blandina confudit. Hic est qui Philoromum nobilissimum martyrem, ex Rationale Tribunum militum fecit. De Musculo verò quid attinet dicere, cujus versiones (Nam & alios Scriptores latinè interpretatus est) non magnopere probantur à doctis? Innumerabiles ejus errores proferre possem, si vellem: inter quos hic eminent. Dionysius Alexandrinus in Epistola adversus Germanum quam refert Eusebius in libro sexto ait, *σεπελήλθεις δυσμας* comprehensum à militibus, & Taposirim esse perductum. At Musculus Heliodysmas oppidum esse credidit. Sic enim vertit: *Ego namq; cum Heliodysmas unà cum illis qui mecum erant, venissem, Taposirim à militibus ductus sum.* Idem præterea Musculus librum Eusebii de martyribus Palæstinæ, qui subje-

ctus

Præfatio.

ctus est libro 8. Historiæ Ecclesiasticæ, totum in versione sua prætermisit: quam ob causam nescio. Est enim ille Eusebii liber elegantissimus. Superest versio Joannis Christophoroni, quæ nec ipsa nævis suis caret. Nam ut omitam Barbarismos qui in illa sæpius occurrunt, nimium proluxa & laciniosa est ejus interpretatio, dum voces quasdam addit ad explendam periodum, aut ad obscurioris loci expositionem suas adjicit ἐπεξηγήσεις. Interdum etiam ex duabus periodis unam facit, & duo capita in unum confert: adeò ut Latinorum capitum distinctio in ejus interpretatione multum discrepet à Græca. Quæ res quantam pariat molestiam ac perturbationem in citandis ex Eusebio locis, norunt omnes Studiosi. Idem in Theologicis quidem satis exercitatus fuit: sed criticæ artis peritiâ & antiquitatis Romanæ cognitione leviter instructus. Quare in propriis vocabulis Magistratum Romanorum, & in iis quæ ad civilem administrationem pertinent, perpetuò labitur: verbi gratiâ in exponendis vocibus ἡγεμόν, στρατηγὸς, ἐπαρχικὴς τάξις & in similibus aliis. Postremò librum Eusebii de martyribus Palæstinæ, qui in editione Roberti Stephani & in manuscriptis exemplaribus subjunctus est octavo Historiæ Ecclesiasticæ libro, Christophoronus in octavum librum transfudit, cum ejus partem illum esse crederet. Quem Christophoroni errorem secuti postea Typographi Geneveses, ut Græca Latinis aptarent, ex duobus Eusebii libris unum fecere. Atque hæc carptim dicta sint de vitiis superiorum interpretationum; non obtrectandi animo, nec minuendæ cujusquam Interpretis gloriæ; sed ut Studiosi omnes intelligant, nos non sine causâ novam interpretationem suscepisse. Quam ut perfectam quidem & numeris omnibus absolutam præstare non ausim, (id enim nimix esset confidentiæ) ita plurimis mendis quibus superiores interpretationes scætant, carere fidenter affirmo. Cæterum cum tria potissimum in versione requirantur, ut nimirum fidelis sit, ut elegans ac perspicua; operam dedi ne quid horum in versione nostra desideraretur.

Interpretationem sequuntur Adnotationes. In quibus duo potissimum spectavi: primum ut emendationum mearum rationem redderem, & varias scriptorum codicum Lectiones Studiosis proponerem: deinde ut obscuriores Eusebii locos illustrarem, & antiquos Ecclesiæ mores ac ritus collatis aliorum Scriptorum locis explicarem. Adnotationibus quatuor à me subjunctæ sunt dissertationes. Quarum prima est de initio ac progressu schismatis Donatistarum. Altera est de Anastasi & martyrio Hierosolymitano. Hanc sequitur disputatio de versione 70. Interpretum adversus Jacobum Usserium Armachanum. Quarta est de Martyrologio Romano quod edidit Rosweydeus. Atque hæc sunt quæ ad Eusebianæ Historiæ illustrationem à me in hac editione elaborata sunt. Quæ si cuiquam fortasse levia videbuntur ac vilia, is cogitet, hujusmodi ferè cuncta esse quæ in hoc genere literarum proferuntur, iisque pro studio legentium ac stomacho aut pretium aut contemptum accedere. Nam si quidem æquum ac studiosum Lectorem invenerint, magni æstimantur; si verò in fastidiosas aures inciderint, pro nihilo ducuntur. Deinde quid nisi vulgare admodum & mediocre expectandum est, à me præsertim qui ob debilitatem oculorum alienis oculis ac manibus & legere cogor & scribere:

Prefatio.

re: & qui dū propter laboris magnitudinem semper ad ulteriora festino, totum hoc qualecumq; est opus ita properanter dictavi, ut vix relegendi mihi otium fuerit. Quo magis indulgenda mihi est venia, sicubi fortasse in Adnotationibus Lectoris desiderio non usquequaque satisfeci. Ceterum ad invitandos Lectores, in ipso operis vestibulo doctissimam Epistolam collocavi, quam Illustrissimus ac Reverendissimus Archiepiscopus Tolosanus Petrus de Marca, vir divinarum humanarumque rerum scientia instructissimus, ad me scripsit de prima Evangelii prædicatione in Gallia. Quidquid igitur tædii ac molestiæ ex lucubrationum mearum Læctione contraxerint Studiosi, id hujus Epistolæ eruditione & amœnitate facillè detergent.

